

Ann. X.

ROMAE, Kal. Decembris M DCCCC VII.

Num. XII.

# VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;  
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo  
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



## Subnotatio fieri potest:

### IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA"

VARSAVIAE POLONORUM  
Rakowskie Przedmiescie, 15.

### IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

LONDON W.  
28, Orchard Street.

### IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

### IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL  
1699, Rue Notre-Dame.

## RERUM INDEX

- Ex Americis.** — De fatis Septentrionalis Americae futuris.  
**De re litteraria apud Subalpinos.** — De historia: Clemens Solaro, Comes Margaritae.  
**Vulcani fastus.**  
**In Christi Domini Nativitatem elegia.**  
**Vox Urbis Palaestra.** — Fragmenta Ciceroniana: De imitatione Ciceronis quid senserit Muretus.  
**De Eugubina quadam parietali pictura circa translationem almae Domus Lauretanæ.**  
**Colloquia latina.** — Praeparatio convivii.  
**Acta Pontificia.** — I. SS. D. N. PII PP. X de sententiis pontificalis consilii rei biblicae provehendae praepositi ac de censuris et poenis in eos qui praescripta adversus modernistarum errores neglexerint. Motu proprio. — II. Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes de modernistarum doctrinis: Quinam detur a modernistis intellectui locus — De origine dogmatis apud modernistas, deque eius evolutione — Modernistæ fides — « Traditio » apud modernistas.  
**Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.**  
**Diarium Vaticanum.** — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.  
**Annales:** Mauritana res. — Regalia itinera. — Lusitanorum discordia.  
**Publici per Orbem coetus legibus ferendis.**  
**Per Orbem.**  
**Epistolarum commercium.**  
**Libri recens dono accepti.**  
**Aenigmata.**

## ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI  
Pontificia officina Candelarum ad Sacra  
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales  
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et  
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

*Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.*

**REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA**

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candelarum ad Sacra enixe commendamus,  
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

---

**SUPELLEX AD RES DIVINAS**

---

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*)  
mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum  
aestimatio fiet.

---

**SATURIO**

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro  
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS  
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-  
mentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. I.

---

**IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.**

---

De claris sodalibus provinciae Taurinensis Societatis Iesu commentarii conscripti  
et exornati a P. SALVATORE CASAGRANDI ex eadem provincia, ven. lib. 7  
beneficio Missionum Montium Saxorum, Californiae et Alaskae S. I., VOX URBIS  
Sociis pretio lib. **4,50** conceduntur.

Qui sibi eos cupiat, ab auctore requirat *Via Barbaroux, 28 — Torino.*


# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

*Sociis et lectoribus Commentarii  
nostris humanissimis Nataliciois Do-  
mini dies et anni MDCCCCVIII  
bonos, faustos felicesque ex animo  
ominamur.*

*Proposita nostra et integrum sub-  
notationis prospectum in ipsum an-  
num, qui Vox Urbis nostrae erit  
primus supra decimum, in proximo  
numero edicemus.*



## EX AMERICIS

De fatis Septemtrionalis Americae futuris

**H**AUD pauci Americani cives sunt una prae-  
sertim de causa anxii, quia scilicet ad  
foederatas Septemtrionalis Americae oras novae  
semper immigrantium turbae descendant, qui  
ex dissitis undique gentibus lingua, institutis,  
religione, origine variis, reipublicae populum  
commiscent. Timent igitur viri prudentes Amer-  
icanae vitae mores ne nimis fiant paullatim  
immutati, atque reipublicae leges hanc satis  
esse retinent, ut tanto malo tuta medela affe-  
ratur. Adde amentes multos, et aegrotantes, et  
imbecilles et facinorosos homines in Americam  
passim confluere; quibus, ut arceantur, abunde  
non providetur. Germanicos quidem Celtasque  
tolerant, sed Neo-Eboraci hanc libenter tot  
Russos vident atque Polonus et Italicam ipsam  
crescentem coloniam, et regionem Sinensem satis  
amplam, et Hebraeos ad quingenties usque cen-  
tena millia hominum auctos, ita ut alte queran-  
tur non satis iam patere utrum urbs illa ameri-  
cana nuncupari possit.



Sed tamen iuvat ad rem suspendere primum  
hanc civium varietatem Neo-Eboracensis urbis  
propriam omnino non esse. Ut enim bene in sua  
Neo-Eboracensi historia Rooseveltius praes-  
scripsit, numquam visum est urbis huius incolas  
ex uno eodemque populo esse coactos; nec um-  
quam contigisse, anglicam gentem ibi domi-  
natam esse ceteras. In ipsa enim praesidis fa-  
milia, Batavi maiores sunt, inter quos immo-

tum Galli Calvinistae tum Hiberni catholicam  
religionem professi, ita ut anglici sanguinis  
ne una quidem guttula in eo reperiatur. Quae  
denique XVII iam occidente saeculo peregrin-  
orum multitudo Neo-Eboraci fuerat, ea pariter  
hodie quoque recensetur.

Qua ratione autem varia civium origo ve-  
tusta, eadem antiqua inter varias gentes aemula-  
tio. Adnotat ad hoc ipse Rooseveltius, sin-  
gulas immigrantium multitudines ex una ea-  
demque gente ortas, habere alias quae succidunt  
alio sanguine natas et contemptui passim et  
odio. Igitur, bellum de libertate assequenda  
dum geritur, dumque Angli variis ex provinceis  
Neo-Eboracum descendunt, veteris urbis cives  
hosce Anglos acerrimeoderant; Batavi hi ori-  
gine plerique, vel Galli, Calvinistae sectae ad-  
dicti, et Gallia olim extores, quum urbs Neo-  
Amstelodamum adhuc vocabatur. Anglis vero  
acceptis et paulatim cum aliis commixtis, urbis  
nomen Batavum in Anglicum est immutatum.  
Angli deinde Hibernos, qui magno numero brevi  
eo venerunt, sua vice spernebant, pariterque  
Germanis invidebant, qui secessionis bello fla-  
grante urbem petebant passim: postremo et  
Hiberni simul et Germani Italos despicerunt  
et Russos, atque vicissim timuerunt ne digni bi-  
fierent civitate Americana, quam tantopere app-  
petere videbantur.



Docuit tamen experientia totidem metus tum  
de Hibernica tum de Germanica invasione  
omnino vanos fuisse et inutiles. Qua plane ex  
re solidissimum argumentum exsurgit, ut ho-  
dierna quoque in Italos et Russos instae aemula-  
tiones evanescant et cadant. Ut iamdiu enim  
Hiberni passim et Germani optimi cives Amer-  
icae facti sunt, ita modo Itali quoque et Russi  
cives optimi sient.

Ad hunc finem operam pueri late intendunt.  
Qui primum in scholis, mox in bibliothecis  
miscentur omnes: adolescentes autem apud pa-  
rentes suos novas et americanas in dies magis  
formas vivendi tuentur, ita ut tandem quisque  
americanus fiat. Immigrantes insuper, ut sunt  
plerique agricultae rudes et indocti, novae pa-  
triae novas semper formas cogitandi et loquendi  
et vivendi facile accipiunt. Ita explanatum est  
quomodo Hibernis et Germanis aequa et Italos  
ac Russis sua consilia suosque mores Ameri-  
cani communicaverint. Quamobrem facile fit ut  
horum filii atque nepotes Washingtonii iam  
atque Lincolnii nomina venerentur, atque vim  
Americanum nominis breviter experiantur. Nonne,  
quum Neo-Eboracenses cives libertatis suae  
centenarias ferias celebrarunt, Washingtonii  
effigies nullibi adeo frequentes quam in « Ita-

liae minoris » seu « parvae » regione conspicie-  
bantur?

Pueri atque puellae Italorum anglico idio-  
mate non secus atque Angli loquuntur facillime  
et facunde, et vexillum americanum salutant  
et anglicis ludis colludent laeti, et lycaeae  
adeunt, et Americanae reipublicae iam honores  
et munera appetunt et ambiunt.



Eadem causa efficitur saepe, Germanos im-  
migrantes patrii sermonis paullatim esse oblitos,  
eorumque filios Anglicum potius quam Germa-  
num theatrum adire, quia Anglici melius quam  
Germana lingua passim utantur. Itaque Boye-  
ren, Suedus vir clarissimus, Minnesota regionem  
peragrans, non iniuria mirabatur, Suedos  
ibi incolas Anglici facilius quam Sueda lingua  
secum colloqui. Idque iure; ne scilicet Angli-  
cam si linguam ignorare viderentur agricultas  
sese testarentur esse natos.

Ceterum haec assimilatio, quam hodie sub  
oculis habemus, iam diuturno tempore felici  
exitu operatur. Hisce enim nostris diebus, post  
saecla tria ex quo advenarum tot multitudines  
effluxerunt, nonne in Americis videmus incli-  
nationes, principia, studia superesse, quae Eu-  
ropaei importarunt quum primum in civitatibus  
nunc foederatis sedem posuere et libertatis amo-  
rem tum circa religionem, tum circa rempubli-  
cam, et spiritum proprii cuiusque ac peculiaris  
incoptus, et similia? Quare, historia duce, con-  
cludendum est vanas facile effectas esse de re  
species, et Americanorum fata immutabilia ge-  
neraliter in posterum mansura, aut saltē non  
iri deductum in peius. Quod, si placet, alias  
ad amussim scriptis attingemus.

M. W.

## DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

## DE HISTORIA

(Cfr. num. sup.)

Clemens Solaro, Comes Margaritae.

Ponere Clementem Solaro Comitem inter hi-  
storicos huiuscet aetatis longe nobilissimum non  
dubitabo. Hic Augustae Taurinorum natus e  
patricia gente, adolescens poësim in primis  
coluit et tragoidiam conscripsit summis lau-  
dibus acceptam a condiscipulis, qui acerrimum  
eius ingenium admirati hanc spennendos fructus  
ei auspicabantur. Sed paene puer munera pu-  
blica adgressus, ita fuit carus atque acceptus  
Carolo Alberto regi, ut numquam ex illo tem-

pore a suo latere discedere pateretur. Hunc consilium, auctoritas, magnitudo animi summis viris aequarunt; studioque religionis florentem, amor atque obsequium in Principem commendavit, et egregia erga Romanum Pontificem fides illustravit. Per quindecim et amplius annos rem Subalpinorum sub Carolo Alberto adeptus, navis, industris externas regni rationes curavit.

Vegeta adhuc aetate, nova tempora nactus, impetrata munera vacatione, domesticum otium cum pietatis studio, morum suavitate, egentium cura honestavit. Inter populares oratores brevi post tempore adlectus, ius fasque ex animi sententia libero ore defendit, et maxima rerum hominumque prudentia eluxit, et qualem se antea praestaverat per longum rerum ordinem ad latus Principis, talem usque ad exitum servavit.

Pronus in obsequium erga summum Catholicum nominis Parentem, apertissime testabatur in bonis atque in arduis rebus, ei devotissime aequam mentem in utraque fortuna esse servandam; quae quidem quum non omnibus adprobarentur, haud parvam invidiam in eum concitaverunt. Sed reiecta ad audiendum plebecula interritum impavidumque sensit.

Curis publicis denique vacans, animi magnitudinem humana despicientis exhibuit. Et quoniam *carmina secessum scribentis et otia quaerunt*, peropportune hanc occasionem arripiens, se ad intermissum scribendi munus contulit. Quum enim nonnulli novum rerum ordinem aspernati, eum calumniis oppetierunt, ipse famae mendacia ridens, tranquillo animo historiam rerum quibus interfuit prolixius descripsit in libro cui est titulus: *Memorandum storico-politico*. Candida rerum enarratio scribentis animum a spe alienum metu et reipublicae partibus, atque ab omni invidia atque spectatae fidei historicum arguit. Pulcherrimae sunt temporis sui narrationes, quibus hominum mores atque imprimis Caroli Alberti regis, tam graphiche depinguntur, ut nihil naturae aptius, nihil ad veritatem expressius queas excogitare.

Etiam si animus ei esset scribendi quae sub rege fecisset, quo tempore regis voluntas saepe pro legibus adhuc habebatur, tamen liberime narrat et de ceteris late gentibus, cum quibus res agerentur, et saepe quoque consilia exhibit quae confidentissime profitebatur, ut ab omni quod a veritate alienum crederet regis mentem revocaret, et ad omne quod optimum factu reputaret, religionis et patriae studio impelleret.

Vel minima quae ad rem publicam recte administrandam aptiora iudicat in medium confert, et quae in principis penetralibus agi consueverunt, nulli adeundis, nisi ei cui imperantis voluntas permitteret.

Mirum sane quod nec reverentia eum a scribendo deterreret, nec res sua ad humile obsequium impelleret, nec mala fortasse mens ad improbitatem hortaretur. Namque candido admodum pectore atque fortissimo, res rara apud regnum administros, semper aperiebat quotquot apta reputaret.

Hoc Solari volumen eleganter atque eruditus conscriptum erit semper apud posteros insigne de eius erga principem obsequio monumentum, einsque sincereae voluntatis probatissimum opus,

quod omnem prorsus calumniantium iniuriam ab eius memoria facile repellat.

Eo enim tempore apud omnes pene respublicas doctrina illa passim invaluerat, qua omnis ad principes potestas referebatur, quum ageretur de religione, nisi peiora in eam adgredienda molirentur. Ipse vero animum quodammodo medium obtinens, in omnibus rerum adiunctis, vel libris, vel sermone, praesertim quum apud oratores populares ageret, semper argute et sapienter pro incolumitate sacri Principatus dimicavit, pro conservandis religiosis ordinibus, pro Ecclesiae iuribus, pro civium libertate, et, reipublicae rationibus posthabitis, adsiduus, disertus, pugnax orator per omnes temporum vices, admirabili constantia exstitit.

Certus, suis temporibus, italicae sapientiae adsertor fuit, et insignem de adversariis triumphum retulisset, si quo modo humana ope res italicae etiamtum servari potuissent.

Insuper studio doctrinae illius, quam πολιτείαν appellant, unice incensus, quamque praecester diligebat, librum exaravit pura ac germana sapientia confertum christianisque moribus imbutum, ut viri qui candide ad rem publicam regendam se conferunt, sancte edoceantur atque informentur, cui nomen indidit: *L'uomo di Stato*.

Mirabilis sane hominis voluntas, qui, quum patriam in oculis ferat, nec iam rebus gestis in bello clarescentem speret, neque armis opibusque pollentem, eo contendit, ut sapiens in populis regundis evadat; in hoc unum opus, quidquid prudentiores veteres, philosophi, historici atque populorum rectores antea protulerant, egregia forma atque eleganti congregavit atque explanavit.

Omnibus flebilis, vel illis, qui eius sententiae adversarentur, diem obiit supremum, extrema senectute, Augustae Taurinorum an. M DCCC LXXI.

SUBALPINUS.

## VULCANI FASTUS

**B**RUTIORUM terrae rursus concutiuntur, oppidaque e iugis corrunt; Iaponiae urbes terraemotu quassantur insulaeque merguntur undis, dum Vulcani furiae per Siculos scopulos novis anctis ignibus infremunt et copiosas magis flamas evomunt...

Profecto nihil, orbis per faciem, timendum magis vel magis horridum fieri potest, quam quum insulam videmus in profundum oceanum quassata terra demergi!

Quum enim columna ignis, igneo flumini coniuncta mundi viscera aperit, eaque crepitantibus flammis comburit omnia fluctu; quum aquilonis horridus furor omnia divellit ac rapit secum in ruinam; quum aquarum tumidus fluctus, quae ad oceanum descendens casas, pecudes, pontes diripit ad occasum, nihil haec omnia sunt si cum horrendo insulae fato comparantur, quae titanico fluctu absunitur et nihil de re, nisi memoriam relinquunt.

Harum vicissitudinem, quas non longo intervallo passim audimus, causae sunt aqua, aëris, ignis, mare ac venti et ignivomi montes, quos patronimice vulcanos dicimus. Quum enim vio-

lento terraemotu oceani quies turbatur, ingens fit tumultus immanisque unda, quae omnia vertit et diruit.

Hoc modo Sumatrae insulae litus quum vulcani Krakatoani motus factus est, marisque turbatio ingens omne per oceanum est communicata, et per Indiae oras, et per Rubrum mare oppositas usque Americas attigit, aquis demersum est. Nulla tunc Sumatrae in finibus insula fuit expers ruinae, omnisque ripa, lata licet, absorpta est, oppidaque operuit et urbes.

Quum aërea rabies vi maxima fuit atque tremendo impetu discurrit, coraliferi scopuli pariter e terrae facie avelluntur atque proiecuntur in mare.

Postremo vis intima ignis, eaque latentium in terrarum orbe flammarum potis est ut quae saepe immutatur facies mundi suas non aliunde avulsiones repeatat.

Ne vero singulas persequamur regiones, quas post hominum memoriam terraemotus aut mare demersit, res ipsa snadet unam recolere eamque immanem ruinam terrae pervetustae, quam Plato recoluit primus, quaeque Atlantidis nomine iamdiu nota maioribus fuit.

Narrat enim Plato in *Critone* novem millia ante se annorum populum adhuc ignotum Graeciam pervasisse, qui Atlantidem terram incolebat, iamdiu ex oceani facie atlantici eminentem, cuius immo e ruina, Pickering americanus astronomus dejectam primum in caelos autumat lunam fuisse. Paulo post autem ex quo Atlantidis hi cives Graeciam pereverant, insula haec ingens, Lybia simul et Asia maior, cingente Oceano heic illie submergebatur, tanta ruina qua nullam umquam inhumaniorem terram vidi.

Haec omnia diu, sive philosophi, sive geographi fervidae mentis partum autumarunt, sed medio saeculo XVIII eius de veritate inquirere sedulo magis viri docti sunt aggressi.

Igitur Canariae insulae et quas Viridi Capitis nuncupant, et Azzorae, et Antillae, insulae usque autumatae, sunt veluti montium vertices submersae Atlantidis terrae; Negris autem, Graecus vir peritus ac diligens, una cum Hill hanc rem proprie quum explorassent, Atlantidis historiam veriorem reddidere.

Certe, de Atlantidis terrae historia hodie dubitare iam nemini licet, quamvis eius avulsio longe ante hominum memoriam contigerit. Occidentalium contra regionem, quas Americas vocamus, ortus eadem forte aetate contigit, quum intimo concalesceente igne terrae facies elata est, eamque paulatim operuerunt multitudines maris animantium infinitae, quae in aquis vixerunt.

Saepe enim idem qui insulas diruit ignis, insulas quoque creat, vanas eas quidem plenumque ac brevi duraturas, quum aquae in rem ipsam adlaborant, sed in hoc aeternae, quod vis illa una agat quae huius planetae, quem incolimus, vitam constituit.

Ita si post hominum memoriam accedit insulas esse submersas, contigit pariter plures esse emeras e fluctibus, vel ut emergent esse conatas.

Iscla enim ac Procyta insulae Noctieis aquis antiquiores sunt; sed Aeoliae insulae ferme serius apparuere. Vulcanelli, quam dicunt, insula ducentis ante Chr. annis orta est; atque Vulcani insulae hodie adhaeret, ex qua Strumboli igneus mons eminet et minitatur semper.

Sunt pariter vulcani cuiusdam motibus natae insulae nomine Santorino, ex quibus aliae antiquitus natae sunt, aliae vero a. DCCXXVI, MDCCVII, MDCCCLXVI, MDCCCLXXXIII post Chr. natum.

Nec diversam habuere originem insulae, quas Aleutinas nuncupant, quaeque Occidentale Americae litus cum nordica provincia Alaska coniungunt. Similiter multae surrexere ex Pacifico Oceano terrae, pariterque ex Indico, ubi celeberrima illa S. Pauli insula.

Hisce fatis igitur, hisce vicibus Vulcani imperium in terris agitur, dum asper deus Ethna sub monte lares habet et focos et officinam, Cyclopidum manu adiutus, qui « inter se magna vi brachia tollunt » et quatunt orbem...

### In Christi Domini Nativitatem

#### Elegia

*Pastores erant in eadem regione vigilantes.  
(Luc. II.)*

Nox erat, et nitido fulgebat sidere caelum,  
Alaque nocturnum luna secabat iter.  
Aere servabant tacitura silentia venti,  
Dum revovent dulci membra quiete ferae.  
Arboare frondes (1) circum, montesque silebant,  
Et denso in ramo tecta tacebat avis.  
Pastores aliquot (2), clausis in ovibus agnis,  
Gaudebant teneris astra ferire modis.  
Ipsorum tenuis sociabat fistula cantum,  
Et dulci aptabant rustica verba sono.  
Extemplo insolitus perfusit in aethere splendor,  
Et meliora die tempora noctis erant.  
Obstupuer omnes: vigilantia lumina sursum  
Tollunt, dum tantus splendet in axe nitor.  
Aligerum glomerata cohors elabier alto  
Visa polo citharas, grataque sistra gerens.  
Aethereis laeti caelum undique cantibus implent,  
Nuper ubi fuerat natus in orbe Deus.  
Aliger haec inter suspensis adstitit alis,  
Et tales dulci prodidit ore sonos:  
« Dicite io Paean: divino dicit Regi  
Carmen: solliciti ducite ad antra pedes.  
Surgite, Pastores, cito surgite: mystica caeli  
Vox nati Pueri tecta subire monet.  
Illuc tendamus: coecos penetrare recessus  
Ne pigate, caeli qua Deus ipse iacet.  
Tendamus subito: mecum antra subire iuvabit,  
Et tectum humana visere veste Deum ».  
Haec ubi, laeti omnes sacra ad Praesepia currunt,  
Alternisque canunt pectore, voce, fide:

#### TITYRUS.

Salve, o Sancte Puer, quem turpia crimina cogunt  
Terrigenum fragiles induere exuvias.  
Tu lapsi casus hominis miseratus acerbos  
Hic mavis nasci, ut crimina nostra luas.  
Tu cui mille adstant famuli, cui mille ministrant  
Caelicola, nullum hic, qui famuletur, habes.

(1) Olivetis erat tunc temporis circumdata Bethlehem.  
(2) Tres tantum fuisse traditur Pastores, qui Iesum in Praesepio natum adiverunt, quibus nos hic nomina fuisse fingimus Tityrum, Menalcam, Alexim.

#### MENALCA.

*Qui terram imperio, qui caelum numine torques,  
Cogeris hic, duro ponere membra solo.*

#### ALEXIS.

*Heu! quibus impletur teneris vagitibus antrum,  
Dum rigidum frigus membra tenella quatit!*

#### TITYRUS, MENALCA, ALEXIS.

*O quot dius Amor potuit suadere dolores!  
O Amor! o nostri vera medela malis!*

#### TITYRUS.

*Per te, blande Infans, per te aurea saecla resurgent;  
Per te, quae veniunt, tempora pacis erunt.*

#### MENALCA.

*Tempora pacis erunt: per montes gramina carpent  
Tuti agni, cum ipsis ludet et ipse lupus.*

#### ALEXIS.

*Salve, o Sancte Puer, qui te redamare negabunt,  
Pectora sunt ipsis frigidiora nive.*

#### TITYRUS, MENALCA, ALEXIS.

*At nos te semper, te semper amabimus omnes,  
Sive dabitis nobis vivere, sive mori.*

*Carmelus Pezzullo.*

### VOX URBI PALAEASTRA

#### FRAGMENTA CICERONIANA

De imitatione Ciceronis quid senserit Muretus

(Cfr. num. sup.)

Atque de hoc quidem iudicio Mureti ac veluti similate in sui temporis ciceronianos alii quod libet sentiant; mibi ita personum est neque in hac re omnino a veritate aberrare virum doctissimum et quaedam praestare arguta illa quidem at minus probabilia. Namque ex latinis scriptoribus unum deligere ac veluti deperire Ciceronem apertissima insanis est et quoddam genus ειδωλολατρίας; quod nescio an florente Mureto umquam contigerit, at certe nulli emunctae naris viro probari potest.

Est enim eruditissimo cuique (atque id liquido constat) altior quo fieri potest penitiorque antiquitatis petenda notitia; id quippe agendum est iis qui antiquis litteris dant operam, ut vetera quaeque instituta, mores, leges, ingenuas artes, cetera omnia quae ad antiquitatem pertinent et ipsi per se ediscere valeant et alii aperire, quod nisi adsidua in optimis eiuslibet aetatis scriptoribus conlocata lectione qui fieri possit non video.

Ac si quis animi gratia scriptio quoque latinae indulgere velit, imitatorem ille quidem se ac veluti pedissequum praebeat, veterum scilicet scriptorum, neque enim extinctae, ut aiunt, linguae novarum rerum accessiones a tardis nepotibus possint fieri (1), quod apprime sensit, credo, Muretus. At si unius quamvis maximi scriptoris auctoritate veluti saepius ac circinis, orationem coēreas tuam, iejuna illa quidem ac pedestris existat omnino necesse est. Saepe igitur omnia illa aureae aetatis lumina in scribendo respicias, ita tamen ut in eis triumvirus quidam sit Ciceronis, Caesaris et Sallustii. Interdum etiam ex ipsa argumenti natura ac visceribus, si ita loqui fas est, orationis eliges


(1) Cfr. ad rem *Lettere filologiche al prof. P. D. passim*, quas brevi in lucem sum editurus.

auctorem, cui potissimum in scribendo accedas; nempe qui in ea re litteris tradenda facile princeps, venerandae antiquitatis indicio, esse videatur. Qui, si a Cicerone atque a flore latinae eloquentiae nonnihil discedat tempore, nihil id quidem officiat modo vulgaris aut illepidus sit auctor latine scribendi. Neque tamen ita quidem huic adhaerere cogeris, ut non tibi ex eiusdem aetatis atque artis scriptoribus quidquid optimum est seligere liceat. Quod si in remotissimis quoque ab hominum consuetudine atque usu scribendi, qui fuit aevi augustei, rebus tradendis, auream eius aetatis speciem decusque exprimere libeat, non id quidem creat periculo ac salebris, sed ne laude quidem; ut Ciceronem unum, relictis ceteris, quemadmodum bidentes arietem, sequi velit atque humilius deosculari nulla te adducat religio.

Ut si de grammaticis agendum sit, nemo te, Cicerone seposito, prohibeat quominus Servium, Donatum, alias id genus respicias; si de iure atque iustitia, sint tibi Paulus, Ulpianus, Caius, ceteri, non ignobiles illi quidem auctores; si de re militari, Frontinus, Vegetius; ac de rerum natura scribenti optimus sit tibi auctor Plinius ille maior, de architectura Vitruvius, de re medica Cornelius Celsus; quamquam non ii pridem illa latina eloquentiae aetate fuerunt, qua Cicero, Vergilius, Horatius. Neque tibi, nisi ferre recusent humeri ea omnia ad Ciceronis Ciceronisque aequalium imaginem describere, atque altius latinae facundiae specimen, in re asperiori ac minus contrita via, exprimere pari ac fortasse maiori laude non liceat. Itaque si historicum agas, quis te Livium potius, Sallustium, Caesarem, quam Suetonium, Velleium, Tacitum duces in scribendo iubeat respicere atque auctores?

Id tamen sedulo cavendum est ne, omnibus omnis aetatis scriptoribus tibi uno tempore ad imitandum propositis, velut undique collatis membris, inaudita tibi ac perridicula quaedam exsistat oratio, latinis illa quidem literis ac verbis conflata, at minime latina. Quod periculum, quam Charybdim hand satis animadvertisse mihi videtur Muretus, vel disputatione illa, quae carptim superius recitata est, ubi cum purissimis latinae eloquentiae rivis, scriptoribus, inquam, augusteis, miscentur aquae ab illa munditia non nihil abhorrentes atque a minus liquidis deductae fontibus, sequentium aetatum scriptores.

Quid si Muretus: bonos, inquit, aqua et igni interdicis scriptores? At ille quidem fucum facit. Optima illa lumina dicendi imitemur, si res, si tempus ferat; tamen cuique locus sit, ne orationem versicolorem, quam modo dixeram, atque opus quoddam musivum, ut vocant, imo cinnam habeamus. Certe equidem in eo adsentior Mureto nostro non esse nos, saltem interdum, valde bonos aestimatores excellentiae in scribendo latine, ut bonos auctores latinae humanitatis malos esse aut mediocres arbitremur; illud tamen haud absurde dici crediderim, tam longo nos, ut ille ait, intervallo, ut bonos recipere mediocres vel malos scriptores fortasse facilius. Ceterum ad rem non multum aut nihil omnino facit bonine an mali scriptores sint, qui labente latino nomine aevum agitarunt (ut Eurii verbis utar); sed plurimum illud non



eos eiusdem aetatis ac Cicero fuisse, atque ideo aut in lectione quidem terendos, in scriptione vero latina seponendos omnino, aut, si id res, si ingenium postulet, solos imitandos, nulla quidem admixtione ciceroniana. Neque adeo fugit me, quod minime subtilioris ingenii est, optima quaeque et meditanda animo et exprimenda esse arte atque eloquentia. Quod tamen quemadmodum identidem in communi vita et vulgari hominum consuetudine et saepe numero etiam in re publica, quam vocant, litterarum minime praestari vides, ita ne in hac quidem imitatione, quae in latinis scriptoribus conlocatur, si quando minime praestiteris, meo quidem iudicio, peccabis. Quid enim vetat animi gratia vel mediocria nos vel mala imitari? In quo quidem id mihi persuadeo, mediocria confidere inglorium esse, mala turpe, alterutra vero imitari quandoque bonum. Ut Pyrrhus ille Ligorius nonne et rndoris aevi inscriptiones commode expressit, quas aureae aetatis fuco et coloribus potuit illinere, ei quidem negotio non impar? Sed de his satis et fortasse nimium multa.



Nam quod ait Muretus de tullianorum operum caede ac clade, quae labentibus annis facta est, illud quidem inficto est inficetis rure. Hac enim via ac ratione disputandi, quae vox, quae ratio dicendi, saltem aliqua suspitione, ciceroniana existimari non possit? Itaque ne latinam quidem linguam aut eloquentiam iam appellabimus, sed graviori eodemque sequipedali vocabulo ciceronianam. At primum quidem multa sunt, quae tullianam obrusam minime patientur, sive earum ratio ab eius

aetatis ingenio discedit, seu quod, auditu asperiores, delicatulas Tullii aures acerius feriissent. Atque haec verborum, ὡς ἔπος εἰπεῖν εὐφωνία, etsi vel peritissimos viros fallere interdum ac ludere potest, non ita tamen est negligenda, quasi nulla sit in ferendo iudicio, utrum sint neene verba aliqua ex thesauro Ciceronis. Illud quidem apertissimum est rem esse hanc dubitationis plenam et scrupuli. Neque ipse ita coērcere qui latine sunt scripturi aut possum aut, ut possim, velim, ut quae vox apud Ciceronis aequalis minime occurrit, modo ab eius temporis lepore humanitateque non omnino abhorreat, in sua scripta irrepare non patiantur. Itaque ut quisque est limatori iudicio exquisitorique utatur suo. Verumtamen quae de tulliana atque augstea aetate supersunt monumenta eius et molis sunt et numeri, ut vix quisquam sibi fingere possit centum aut summum ducenta verba, ni fallor, quae eius temporis usus scribendi tulisset, ex iis excidisse. Quae res suadere videtur ut quae certo tulliana sunt vel augstea atque aurea occupemus, cetera, quantum fieri potest, relinquamus.

Ac lepide quidem musculis tineisque gratias habet Muretus, quod verba quaedam Ciceronis religiose servarint ἄποξ, ut aiunt, λεπόρεντα. Verum ne nimia diffiniamur laetitia; neque enim omnia quae semel aut iterum in Tullio invenimus, ea quasi purum putum aurum et margaritas excipere nos ac deosculari fas est. P. Angelinus « si quae perraro occurrunt, - inquit - (quid si semel omnino?), ea si colligas ex ipso Tullio, facile orationem conflabis, non dicam invenustam, sed plane ridiculam. An vero "desiderationem," pro "desiderio," dixe-

ris? Licuit semel Ciceroni, concinnitatis causa, ubi "desiderationem," cum "titillatione," compositum, hoc modo: At non est tanta "titillatio," in senibus: credo; sed ne "desideratio," quidem » (1). Concinnitatis, inquam, causa licuit; nam "impetratum est consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret," (2). Ergo, causa illa remota, multo magis peccatur. Huc etiam illud refertur Ciceronis monitum: Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce.

Rursus horatiana venia scriptoribus data novas fingendi voces, Muretus non aureos scriptores suos tuerit. Neque huius temporis iis qui latine scribunt id rei committendum est ut nova fietaque nuper suis scriptiunculis appingant, quod in extincta iampridem atque ab usu communis vitae longins aberrante lingua praestari non potest, et, si recte id romanis vel deterioris aetatis scriptoribus datum est, non ideo, quum ciceroniani vel caesariani horumve similes esse velimus, posteriora illa nobis, ut bene feliciterque facta vocabula sint occupanda.

Quae quum ita sint, non bene Muretus ex optimis omnis aevi scriptoribus florem praecipit esse carpendum, neque non rudiores atque horridos christiana sapientiae magistros, Arnobium, Hieronymum, alios magnis accumulat laudibus. Etenim, nisi quando ludendi causa eos exprimere velimus aut iis nostra per dolum affingere, quod non sine ingenio in Instini philosophi fragmentis Pfaff ille praestitit, hos quidem quasi optimos scriptores imitari perridi-

(1) *De senect.,* XLV, 47.

(2) *Orator.,* XLVII, 157.

culum sit. Quod si res ipsa, quae in manu sit, imitatores nos rusticae illius eloquentiae deridet, certe veniam, at laudem latine scribendi nullam exinde referamus. Ut Thomam illum Iuvenalis municipem, summi ingenii virum, si de rebus divinis agamus, quid vetet nos studiouse imitari eique in scribendo accedere? Quod profecto non ita praestabimus quasi laudem eloquentiae quaerentes, sed fortasse sapientiae. Quia in re tamen illud est animadvertisendum, in iis quae a romana antiquitate aberrant, aptius nos romanorum lingua abstinere, quum et suavius et utilius recentiores atque non tritae linguae iis quidem describendis usurpari videantur.

At si bene latine loqui nos libeat, ne illa quidem quae ab antiqua italorum religione sua sponte veluti orientur, Mureto nostro morem gerentes, quum de christiana religione sermo est omnino abiiciamus, nisi ita impietatem sapiant, ut cum sanctiori doctrina nostra institutisque pugnare quodammodo videantur, quemadmodum si quis dixerit: « diis manibus litare » aliave id genus. Quod si ex sacris, quibus angares olim ac pontifices utebantur librissimis veteres scriptores non male sunt mutuati, id iure per eos quidem factum est, vigente lingua in hominum usu cotidie; modo iam demortua illa, ut aiunt, ac paene oblitterata, ut ex ritibus novis similia depromantur minime committendum est, nisi eadem lingua loqui ac scribere velimus qua ἐλληνική nostra quam graece vocant, hand illa quidem elegantissima.

Quae quidem haud vedit Muretus, quem a puriori non semel genere dicendi avocavit necessaria quaedam fortasse barbaries, quemadmodum ipse de re fidem facit I. Pogianus, vir disertissimus idemque Mureti aequalis (1). Atque is nonnulla habet interdum minus latina, videturque eius elegantissimae plane orationi tamquam illiti naevi quidam, quibus eins nitor ut levissime turpatur. Ita cum M. Tullii II. de officiis esset explanaturus, ait: « Sive vobis ad percipiendam platoniarum disputationum gravitatem non satis esse virium iudicarint, sive in eo aliud quidpiam secuti sint » (2), ubi « sive iudicarunt, sive sunt secuti » magis latine dixisset. Nec obest ita semel aut iterum Ciceronem loqui (3), neque enim quae rarius et fortasse ex incuria, sed quae fere ac elata opera dicantur intuenda nobis sunt summaque religione exprimenda. Idem et « scholastici » rustica vocula abusus est (4); et « tum demum » minus acute habet (5), ubi rectius posuissest « re ipsa » vel « re vera » vel « re tota accentuata considerata »; neque enim aliud est « tum demum » quam « tum solum » quemadmodum animadvertisit Angelinus (6); et « cervicem » (7), ubi « cervices » dicendum fuit, quod et multorum ibi cervices appellantur et illa vox, nisi quidam de pluribus usurpatum, minus est ciceroniana. Sed ne me Crispini scrinia....

Mediolani scrib.

I. B. PESENTI.

(1) MURETI *Epist.*, pag 549 (quarum meum quidem exemplar multilam est).

(2) MURETI *Opp.* I, pag. 283.

(3) *Tusculan.*, I, 40.

(4) Ib., I, 193, 382.

(5) Ib., 378

(6) *Lollitus*, 96.

(7) Ib., II, pag. 870.

### De Eugubina quadam parietali pictura circa translationem almae Domus Lauretanae

QUONIAM novissimis temporibus viri historicae rei periti in Lauretanae Domus authenticitatem atque contra veritatem eius translationis traditione palam firmatae multis elucubrationibus insurrexerunt, non sine divino plane consilio contingere multis visum est monumentum iterum innotuisse, quod illorum animadversionibus satis contradiceret.

(fig. 1, 3) domus autem campanario arcu est instructa, qui pariter in omnibus lauretanae Domus figuris depictus conspicitur. Eo vero in loco, a quo divulsa domus appetet et in aërem librata, urbs subiacet turribus et moenii cincta; ubi vero reponitur, in altero latere, domus, arbores eam cingunt humanaque ossa humi deiecta apparent.



Tum enim P. De Fei (1), tum Chevalier Canonicus (2) hoc presertim contenti fuissent contra sua iudicia, ut sive translationis narrationes quae an. MCCXCV-MCCXCVII et MCCCXXX scriptis vulgatae sunt verae probarentur, aut monumentum vel documentum adduceretur, quod ante saeculi XV occasum de re conditum fuerit. Vir itaque tum pietate tum historica doctrina clarissimus M. Faloci Pulignani, antistes urbanus, Spoletinae Archidioeceseos Vicarius (3), rem pro viribus sibi protuendam suscepit parietalem picturam hanc de qua loquimur illustrans Eugubii in domo Fratrum Minorum S. Francisci antiquitus extantem, cuius reliquias photographice exemplatas lectorum oculis subiiciimus.

Patet hic medio in aëre ovali praecincta aureola Deiparae imago, (fig. 1) cuius dextera manus aliquid iubet admoveri, sinistra vero, indice verso, aliquid deponi in terram imperat, quo et inferiores quoque angeli, Reginam humeris sustinentes attente respiciunt. Et profecto ad Virginis dexteram in aëre domus quaedam ab angelis defertur (fig. 2) eademque ad sinistram, iisdem ab angelis deponitur in terra:

(1) *La Santa Casa di Nazareth e il Santuario di Loreto* (Firenze, apud Comm. Rassegna Nazionale, 1905).

(2) *Notre Dame de Lorette*.

(3) *La Santa Casa di Loreto secondo un affresco di Gubbio* (Roma, ed. Desclée, Lefebvre et Soc., 1907).

Concordant haec omnia — ut eleganter concit scriptor — cum Lauretanae traditionis adiunctis. Notum est enim in Teramani Praepositi narratione, quam memorati auctores falsitatis pariter arguunt, domum Lauretanam Nazareth a civitate Flumen prope urbem in Istria ab angelis delatam affirmari; inde vero, quia haud digno cultu haberi videretur, in Italiam, in silvam prope Lauretum; quum vero in ea silva — ut in ipsa narratione scribitur, — « crebferent latrocina et plerique eorum, qui ad locum illum Religionis gratia confluabant, sicariorum insidiis trucidarentur » (1) rursus eam angelos sustulisse et in agro proximo reposuisse. Horum criminum vestigia humana ossa profecto indigitant, — ait Falocius — quae humi sparsa sunt: Nazareth urbs sive Flumen subest in loco unde domus proficisciatur; laureae arbores cingunt contra domum eo in loco ubi deponitur. Quamvis igitur vir eximus Iosephus Lapponi, Pontificis archiater mox vita functus, eam picturam falsis imaginibus innixus, significasse arguerit rosarum visum celeberrimum a beato Francisco, ante « portiunculae » ostium habitum, tamen et quia domus forma cum portiunculae figura nihil commune habet, et quia Franciscus nullibi conspicitur, et quia domus

(1) Cf. MARTORELLI, *Teatro Storico della Santa Casa* (Roma, 1732, vol. I, pag. 511).

duae sunt, altera in aere delata, altera, eademque forma, in terra reposita, nullum est dubium quin lauretana ibi translatio effingatur (1).

Mox itaque picturae aetatem cl. auctor investigat, camque multis argumentis ad decimi quarti saeculi occasum saltem refert. Tum enim haec assertio a peritis a Republica ad eam parietem lustrandam anno 1899 missis primum et sponte prolata est, tum genus pingendi et stylus hoc ipsum evineunt, tum, idque maxime, picturae comparatio cum aliis eiusdem manus figuris, quae ibi adhuc supersunt beati Francisci vitam referentibus, cum documentis aetatis certae ab auctore acutissime conlata, rem confirmant (2).

Hisce igitur deductis cum Falocio concludendum est, adversariorum argumenta, quae novissime contra lauretanam domum allata sunt, nullius vis esse. Quia enim illi sese contentos profitebantur si antiquum aliquod documentum proferretur ante occasum saeculi XV conditum, ubi de traditione memoria fieret, haec pictura adest saeculo et amplius vetustior, quam quod adversarii requirent. Qui nemo non Laureti, sed Eugubii ea est; unde arguitur vulgatam iam undique et celebratam traditionem Lauretanam fuisse, si Eugubii in claustris Minorum depicta est. Non enim recens eventus esse poterat, qui tam latam sibi famam peperisset. Quamobrem facile ex ea ad annos MCCCXCV, MCCCXCVI et MCCCXXX ascensus patet; ad quos adamussim Lauretanae translationis prodigium refertur.

Quid ultra? Omnia antiquiora rei documenta quae adversarii nullius ad rem vis habebant quia non de translatione domus nazarenae loquerentur sed eam domum tantum dicentes « aliam domum Lauretanam », suam inde vim resumere videntur. Profecto hac quoque in parietali pictura, non templum, sed domus, licet instructa campanulis, pingitur, quae ex uno in alium locum angelico volatu ducitur.

Hoc itaque monumento Lauretanae domus antiquissima traditio miris modis atque inopinatis confirmatur fidemque quam veteres traditiones saepe saepius merentur iterum iterumque pictura ipsa comprobant.

Placuit igitur libri eruditissimi summam dare atque imagines referre, ex quibus lectores fidelibus oculis vim novi argumenti in tantam disceptationem praeter spem deducti perpendere valeant; quod imo facilius ipsis fiat, quum proxime de alio libro, qui his diebus editus est, tabulam ipsam allegorice conceptam contendens (3), late dixerimus.

## COLLOQUIA LATINA

### Praeparatio convivii (4).

LAURENTIUS. — Archimagire, rogat herus, num parata sint quae coquenda in prandium, an nondum etiam?

(1) Op. cit., pag. 51 et seqq.

(2) Ibid., c. IV.

(3) VITTORIO PAGLIARI, *Allegoria dell'affresco Eugubino dipinto nel Chiostro dei Minori Conventuali*, (Romae, edid. Fr. Ferrari, Piazza Capranica 102, 1907).

(4) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasmatum latinitatis*. (Monachii, MDX). — Passim retractavit L. F.

ARCHIMAGIRUS. — Vix sonuit hora undecima et me moratur Indocis obsonator noster. Dromo, sportam cape, curre in forum piscarium, adfer quos mercatus est pisces... Acceleras...

ANTHRAX. — Atqui Indocis obsonator modo rediit; advenit salmonem, acipenserem, raias, ostrea, soleas, pisces alios varii generis.

ARC. — Visam. Ades hinc, Anthrax; pisces igni superimponas in cacabo; hi ne decoquantur tibi cautio sit.

ANT. — Dabo operam. Tu, Laurenti, quoniam adstas otiosus, parumper despumato. Dum ego abeo allaturus ligna arida, hinc exstremo proxima.

ARC. — Quae est haec ignavia? Mytili nondum sunt a sordibus purgati.

ANT. — Unus ego expurgandas non sufficio.

ARC. — Abi, accersiturus unum atque alterum, qui nobis hac in re opera paulum tribuant. Laurenti, exige canem illum e culina fuste querneo; evertet ollas.

ANT. — Hen! felis dimidiatum poene butyrum devoravit!

ARC. — Hoc tibi vitio datur.

ANT. — Mihi autem?...

ARC. — Tibi vero. Quin arcebas illum a butyro?

ANT. — Non praevideram.

ARC. — Cave cuiquam dixeris praeterea; si enim herus resciverit, tu illi poenas pendes.

ANT. — Quid hanc faciam banci canda?

ARC. — Cedo ut igni superponam; tu adfer croticulam.

ANT. — Num is baneus erat recentior?

ARC. — Caput consule; en ut rubent brachiae!... Id indicium est certissimum. A quamne in ahenum infudisti quod iusseram?

ANT. — Etiam supra focum appendi. Quid postea?

ARC. — Fac ut bulliat aqua, quo celerius excoquatur lucius fluvialis. Nimium modo attollis ahenum, modo dimittis; serva medium.

ANT. — An acetii guttas aliquot instillabo, quo piscis sapiat acrius?

ARC. — Tu fac ipse sapias et abstine; instillabis acetum quum tibi praecepero. Laurenti, admone architriclinum, mensam ut sternat. Interea cetera ego fercula apparavero.

## ACTA PONTIFICIA

### I.

#### SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

#### PII

#### DIVINA PROVIDENTIA

#### PAPAE X

DE SENTENTIIS PONTIFICALIS CONSILII  
REI BIBLICAE PROVEHENDAE PRAEPOSITI  
AC DE CENSURIS ET POENIS  
IN EOS QUI PRAESCRIPTA  
ADVERSUS MODERNISTARUM ERRORES  
NEGLEXERINT.

#### MOTU PROPRIO.

Praestantia Scripturae Sacrae enarrata, eiusque commendato studio, Litteris Encyclicis Providentissimus Deus, datis XIV calendas Decembres a. MDCCCLXXXIII, Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, leges descriptis

quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur; Librisque divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae critica sublimior audit; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est, nisi Rationalismi commenta, quemadmodum sapientissime scribebat Pontifex e philologia et finitimiis disciplinis detorta.

Ingravescenti autem in dies periculo, prospecturus quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis Vigilantiae studiique memores, tertio calendas Novembres a. MDCCCLXII datis, Decessor idem Noster Pontificale Consilium seu Commissionem de re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudentia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adiecti sunt viri edocti scientia theologiae Bibliorumque Sacrorum delecti, natione variis, studiorum exegeticorum methodo atque opinamentis dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et aetati, animo spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda propoundendis disceptandisque; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam quum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitum, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re Biblica quaestionum statum; hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subiici probandas ac deinde perulgari.

Post diurna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis notitatis affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipient.

Quapropter declarandum illud praecipendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententias Pontificalis Consilii de re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi; nec posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnant; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis.

Ad haec, audentiores quotidie spiritus plurimorum modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficaciteremque nituntur adimere non Decreto solum

Lamentabili sane exitu, quod v nonas Iulias anni vertentis. S. R. et U. Inquisitio Nobis iubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die VIII mensis Septembris istius eiusdem anni, Auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum illud Congregationis Sacrae Supremae*, tum *Litteras eas Nostras Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo auctoritate progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatius tueatur, censura ipso facto plecti, capite *Documentis constitutionis Apostolicae Sedis* irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicationis salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrire, si quando eorum propositiones, opinione, doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est *omnium haereseon collectum*, propugnant.

His constitutis, Ordinariis dioecesum et Moderatoribus Religiosarum Consociationum de novo vehementerque commendamus, velint per vigiles in magistros esse, Seminariorum in primis; repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad praescripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum dubitationis iniiciant doctrinas se consecutari damnatas novitatesque maleficas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta, nimium quidem percrebrentia, quae opinione proclivitatemque gerant tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta consentiant: ea summovenda current ex officinis librariis catholicis multoque magis ex studiosae iuventutis Clerique manibus. Id si sollerter accuraverint, verae etiam solidaeque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet sacerorum Praesulum sollicitudo versari.

Haec nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Novembris a. M DCCC VII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

## II.

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina prouidentia Papae X litterae encyclicae de modernistarum doctrinis.

(Cfr. num. sup.).

Quinam detur a modernistis intellectui locus.

Huc usque tamen, Venerabiles Fratres, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse praestat. — In sensu illo, inquit, quem saepius nominavimus, quoniam *sensus*

est non cognitio, Deus quidem se homini sistit; verum confuse adeo ac permixte, ut a subiecto credente, vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eundem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exiliat ac secessetur. Id nempe ad intellectum pertinet, cuius est cogitare et analysim instituere: per quem homo vitalia phaenomena in se exsurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat. Hinc vulgata modernistarum enunciatio: debere religiosum hominem fidem suam *cogitare*. Mens ergo, illi *sensui* adveniens, in eundem se inflectit, inquit eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae eiusdem diaphraphen collustret ut nitidius effeat: sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur: primum, naturali actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari; secundo vero reflexo ac penitus, vel, ut aiunt, *cognitionem elaborando*, eloquitorque cogitata *secundariis* sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae *secundariae* sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent *dogma*.

**De origine dogmatis apud modernistas, deque eius evolutione.**

Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam praecepit, videlicet ad originem dogmatis atque ad ipsam dogmatis naturam. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quae, quodam sub respectu, necessariae sunt fidei; nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit. Ipsam tamen dogma *secundariis* proprie contineri formulis affirmare videntur. — Eius porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quaenam intercedat relatio inter *formulas religiosas* et *religiosum animi sensum*. Id autem facile intelligit, qui teneat *formularum* eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi sua fidei rationem reddat. Quamobrem mediae illae sunt inter credentem eiusque fidem: ad fidem autem quod attinet, sunt inadaequatae eius obiecti notae, vulgo *symbola* vocant; ad credentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam, qua *symbola*, imagines sunt veritatis, atque idecirco sensui religiosi accommodandae, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta*, sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet aspectus, quorum modo hic modo aliis apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest conditionibus. Ergo et *formulas*, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam *evolutionem* dogmatis expeditum est iter. — Sophismatum profecto coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat ac delet!

Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistae ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis aperte consequitur. — Nam inter praecepit doctrinae capita hoc illi habent, quod ab *immanentiae vitalis* principio deducunt: *formulas religiosas*, ut *religiosae* reapse sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque ipsam vivere *sensus religiosi*. Quod non ita intelligendum est, quasi haec formulae, praesertim si mere imaginativae, sint pro ipso religioso sensu inventae; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam numeri vel qualitatis: sed ita, ut eas *religiosus sensus*, mutatione aliqua, si opus est, adhibita, *vitaliter* sibi adiungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut *formula primitiva* acceptetur a corde ab eoque sanctiatur; itemque sub cordis ductu sit labor, quo *secundariae* *formulae* progignuntur. Hinc accidit quod

debeant haec formulae, ut vitales sint, ad fidem patriter et ad credentem accommodatae esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa huiusmodi accommodatio cesseret, amittunt illae primigenias notiones ac mutari indigent. — Haec porro *formularum* dogmaticarum cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibriis ac despiciunt; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tamquam devio itinere incidentem, quod ab externa *formularum* significacione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione parentibus cassio labore ac tenacissime inhaerens, religionem ipsam dilabi permittat.

— *Caezi* equidem et *duces caecorum*, qui superbo scientiae nomine inflati usque eo insaniunt ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant: novo invento systemate, quo, *ex projecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitibus, doctrinae aliae inane, futilis, incertae nec ab Ecclesia probatae adsciscunt, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur* (1).

### Modernistae fides.

Atque haec, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. — Iam si ad credentem progressus, nosse quis velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus *realitatem* divini ut fidei obiectum admittat, hanc tamen ab illo *realitatem* non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut obiectum sensus est et affirmationis atque ideo phaenomenorum ambitus non excedit: utrum porro in se illa extra sensum existat atque affirmationem huiusmodi, praeterit philosophus ac neglit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, *realitatem* divini reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur; reponent: in privata cuiusque hominis *experiencia*. — In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: in *sensu religioso* quendam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit tantamque de existentia Dei hanuit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantiores: quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adiunxit, quae ad experientiam gignendam requirantur. Haec porro *experiencia*, cum quis illam fuerit assequutus, proprius vereque credentem efficit. — Quam hic longe absimus a catholicis institutis! Commenta eiusmodi a Vaticana Synodo improbata iam vidimus. — His semel admissis una cum erroribus ceteris iam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse iuverit, ex hac *experienciae* doctrina, coniuncta alteri de *symbolismo*, religionem quamlibet, ethnicon minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiae huiusmodi occurant? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnuent, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae denegant; quin immo, subobscure alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuiquam quo tandem ex capite, secundum illorum praecepta, foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia *sensus religiosi*, vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus*

(1) Gregor. XVI Ep. Encycl., *Singulare Nos 7* kal. Ian. 1834.

*religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religioso sensui* hominique credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistae contendere forte possint, catholicam, utpote vividiorem, plus habere veritatis; itemque christiano nomine digniore eam esse, ut quae christianismi exordiis respondeat plenius. — Has consecutiones omnes ex datis antecedentibus fluere, nemini erit absonum. Illud stupendum cummaxime, catholicos dari viros ac sacerdotes, qui, etsi, ut autumari malum, eiusmodi portenta horrent, agunt tamen ac si plene probent. Eas etenim errorum talium magistris tribuunt laudes, eos publice habent honores, ut sibi quisque suadeat facile, illos non homines honorare, aliquo forsan numero non expertes, sed errores potius, quos hi aperte asserunt inque vulgus spargere omni ope nituntur.

#### "Traditio," apud modernistas.

Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite, quod catholicae veritati est omnino infestum. — Nam istud de *experiencia* praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia hue usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intelligunt, ut sit *originalis experientiae* quedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae. Cui formulae properea, praeter vim, ut aiunt, *repraesentativam*, *suggestivam* quandam adscribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad *sensum religiosum* forte torpente excitandum, instaurandamque *experienciam* aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad *sensum religiosum* primo gignendum et *experienciam* producendam. Sic autem *experiencia* religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos qui nunc sunt per praedicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem. — Haec vero *experiencia* communicatio radices quandoque agit vigetque; senescit quandoque statim ac moritur. Vigerere autem, modernistis argumentum veritas est: veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit: religiones omnes quotquot extant veras esse, nam secus nec viverent.

(Ad proximum numerum).

#### EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

##### Ex Congregatione S. Officii.

— Circa ieunia et abstinentias ex generali Ecclesiae pracepto servandas, Religiosae utriusque sexus Familiae, peculiari ieunio aut abstinentiae voto non adstrictae, eadem ac simplices fideles lege uti possunt; circa ieunia vero et abstinentias eis proprias, standum est uniuscuiusque ipsarum Regulis aut Constitutionibus. (Ex deer. I mens. Maii MDCCLVII).

— In omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae, vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie potentibus ministrari potest. Devota vero huius vel harum Misserum auditio omnibus adstantibus ad praecetti satisfactionem valet. (Ex deer. d. I mens. Augusti MDCCLVII).



#### DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Oct. - d. XXI mens. Nov. MDCCLVII)

##### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliasque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ladislau Zaleski, archiepiscopus Thebanus, legatus apostolicus ad Indias Orientales; Michael Bovieri, apostolicae legationis Lusitanae auditor; Devaux doctor, catholici athenaei Lugdunensis rector; Dominicus Reuter, Ordinis Min. S. Francisci Conventualium minister generalis; Bonaventura Rossetti Ord. Min., paejectus apostolicus Tripolitanarum Missionum; Georgius De Guttemberg, Dynasta, legatus extraordinarius atque minister Bavariae cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Wolfram de Rothenham Dynasta, iisdem munibibus fungens, pro Borussia; Iulius De Wagner, Comes, item pro Monachiensi principatu; Maximilanus d'Erp, Dynasta, item pro Belgica civitate; Alexander Ruspoli, Princeps Urbanus, S. Hospiti magister; Franciscus Veillot, Galliei diarii *L'Univers* moderator; Aloisius Barberini, Princeps Urbanus; Seylim Pacha-Malham, agriculturae et commerciorum minister in Turcarum imperio; Marinus Saluzzo di Corigliano, Comes; Vincentius De Giovanni, Sanctae Severinae Dux; Germanici-Hungarici collegii de Urbe alumni; Hildebrandus De Hemptinne, Abas primus Ord. S. Benedicti; De Leininghen, Comes; Aidanus Gasquet, Praeses Anglicae Congregationis S. Benedicti; Sebastianus Nicotra, Vindobonensis Apostolicae legationis auditor; Aemilius De Ojeda y Perpinan, legatus extraordinarius atque minister Hispaniae cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Nicolaus Szécsen de Temerin, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Collegium Pianum S. Mariae in Campo Sancto Teuthonum, ob trigesimam anniversariam diem a Collegio ipso condito.

##### Pontificiae electiones.

Excēmus vir Antonius Vico, archiepiscopus Philipp., Nuntius Apostolicus apud Belgas, ad Hispanos transfertur.

— R. P. Andreas Fruhwirth ex O. S. Dominici Apostolicus Nuntius apud Bavaros et archiepiscopus Heraclensis eligitur.

— R. P. Anselmus Sansoni, Ord. Min. S. Francisci, episcopus Cephaluden. creatur.

— Excēmus vir Petrus Monti, archiepiscopus Antiochen., legatus Apostolicus ad Chilensem civitatem, ob malam valetudinem munus relinquere coactus, summus magister dicitur Collegii S. Spiritus.

— Ioachim M. Dourche, Procurator generalis Ord. Servorum Mariae, inter iudices Congregationis S. Officii adsciscitur.

##### Varia.

Die XXIX mens. Octobris, Modernistarum conatus in encyclicas litteras *Pascendi*, damnantur Enī Cardinalis in Urbe Vicarii decreto, quod sequitur:

« Cum Nobis constet librum, qui inscribitur: "Il programma dei Modernisti" — Risposta all'Encyclica di Pio X *Pascendi Dominici gregis* — edito dalla Società Internazionale Scientifico-Religiosa eoi tipi di A. Friggeri — Via della Mercede, 28, 29 in Roma, — in hac Urbe venum dari; cumque eius electionem Christifidelibus scandalum et detimento esse vobis putemus; eum Auctoritate Nostra Ordinaria, proscriptimus atque proscriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae Iurisdictioni subiecto eundem librum vendere aut legere vel retinere liceat sub culpa lethali.

Cum porro huius libri auctores et scriptores in adserita *Responsione* acriter tueantur systema, quod in Encyclica *Pascendi Dominici gregis* — omnium haeresis collectum — esse affirmatur; SS. Dominus Noster Pius PP. X per hoc Decretum auctores et scriptores, ceterosque omnes, qui quoquomodo ad hunc librum conficiendum operam contulerunt, excommunicationis poena afficit, a qua Sibi soli absolutionem reservat. Addit SS. Dominus Noster, hoc Decretum valere perinde ac si traditum esset in manus uniuscuiusque ex dictis auctoribus et scriptoribus, qui sint sacerdotes et actum Ordinis exerceant, in Irregularitatem incident.

Nil autem satius esset, ait SS. dominus, quam ut omnes Episcopi, in sua quisque Dioecesi, hanc proscriptio nem indicenter et censuram promulgarent.

Datum Romae, die 22 Octobris 1907.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vic.  
FRANCISCUS Can. FABERI, Secret. »

#### ANNALES


##### Mauritana res.

Mauritana res potiusquam in Africæ litoribus, apud Gallos agitata est ob « librum flavum » quem nuncupant, publici coetus legatis legibus ferendis oblatum; unde aperte tum Deschanel et Ribot legati, tum Pichon exterrarum rerum minister concordiam cultarum nationum omnium post eventus ad Casablanca, ac praecipue sinceram Germanorum fidem demonstrarunt. Ex quibus coniici licet, nunc saltem ex Mauritana questione difficultates haud esse oritur ex Europæ guberniis; quamquam non facile videtur quorsum quaestio ipsa erit cessura. Alacritas enim nulla — certe ex opum pecuniaeque defectu — amborum Caesarum Abd-El-Azis et Muley Hafid, quorum alter a Rabat, alter a Mogador minime discedit, aliquanto remorari minitatur rei ultimam solutionem; quod quidem neque viribus Galliae, neque praesertim Hispaniae commodo est.



##### Regalia itinera.

Qui nuper transierunt dies ob regalia itinera invicem insignes evasere. Alfonsus, Hispanorum rex, eiusque uxor Galliam primum ac deinde Angliam tenuerunt; mox Germaniae Caesar Guilelmus in hanc ipsam regionem appulit; quod iter, licet valetudinis gratia is aggressus fuisse dictetur, civilis rationis tamen ex sollemni Augusti receptione et verbis inter epulas pronunciatis, momentum palam assumpsit in pacis tutelam; denique Georgius, Graecorum rex, Vindobonam petuit, ubi pluries cum Aehrenthal dynasta, exteris negotiis praefecto, ac diu colloquutus est, certe de Macedonia quaestione, circa quam Graecia falsas omnino incriminationes sibi illatas praestare contendit.



##### Lusitanorum discordia.

Lusitanus populus civili discordia agitari per diaria passim asseritur, latente nunc, at brevi aperta, nisi rei publicae administratio, a Franco administro quasi dictatore intermissa, quam primum restituatur. Contra, illius ministri

autores dicunt, olum re sse men omitta a enda si

PUBL

In Au parte, G um-soci n adm

In Ba idducta acriter,

In Be civitati menter pars gu

In G discepti ministri publica tia ob defectu stione vocatu

In G quae sta termis

In H ris neg ut rel lerent

In Miche dente,

In I ter in « Octo ciatus

Di inge Oppi Bian ruina

natio expo

mon patiu

aliis flum

adve tam et q

Di pren civit

## VOX URBIS

fautores ut aemulorum calumnias has voces edicunt. Quid igitur? Unum certum est, Cau-  
rulum regem sine ambagibus declarasse sibi esse mentem ut populi oratorum officium post comitia ad Februarium novi anni mensem indi-  
cenda sine mora instauretur. Videbimus infra.

### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Austria Fiedler et Praschek e Czecorum parte, Gessmann et Ebenhoch ex «christiano-  
rum-socialium» et Peschka ex «agrariorum» in administratorum collegium acciti sunt.

In Batavia Indianum rationes ad examen adductae, socialistis contra gubernii decreta acriter, sed frusfra, eas oppugnantibus.

In Belgica de operis ratione habita a legatis civitatis ad Haganum conventum missis vehe-  
menter disputatum. Vicit tamen, exigue licet, pars gubernio favens.

In Gallia post rationes accepti et expensi disceptatas, de coloniis praesertim, Briand ad-  
ministri rogatio approbata est addicendi ad rem publicam ecclesiastica bona possessorum exper-  
tia ob cultualium, quas dicunt, associationum defectum. «Liber flavus» de Mauriana quaesi-  
tione legis est distributus et ad trutinam vocatus.

In Germania coetus sessiones resumptae de quaestionibus ob supervenientem aestatem intermissis latis iudiciis.

In Hispania rationes expensarum pro exte-  
ris negotiis approbatae. Factiosorum conatus ut religiosae missiones apud Mauritanos tolerentur, facile abacti.

In Norvegia administratorum collegio, cui Michelsen erat praepositus, a munere rece-  
dente, aliud suffectum, praeside Lövland.

In Russia «Duma» imperii tertia sollemni-  
ter inaugurata est. Nicolaus Komjakoff ex «Octobristarum» factio eius praeses renun-  
ciatus.

### PER ORBEM

Die XXIII mens. Octobr. MDCCCCVII terraemotus ingens Calabram regionem rursus pervastat. Oppida Ferruzzano, Sancti Hilarii, Brancalione, Bianconovo evertuntur et incolas miseros inter ruinas sepelunt.

— d. XXIV Bruxellis convenit coetus omnium nationum ad libertatem contra foeminarum exportationem vindicandam.

— d. XXVI atra procella ad pedes Vesevi montis furit: oppida circum ingentia damna patiuntur.

— d. XXIX similia in Papiensi, Placentina aliisque nordicae Italiae regionibus lugentur: flumina extra ripas late diffluent.

— d. XXX Vladivostockii classiarii milites adversus duces suos seditionem faciunt. Brevi tamen per vim seditione repressa, eorum centum et quinquaginta in carcerem detruduntur.

Die III mens. Novembbris Florentiae diem sup-  
imum obit Petrus Strozzi princeps, vir erga civitatem suam liberalitate insignis.

— d. v Romae in Nuntium Nasi, iam Italiae administrum, repetundarum quaestio apud Senatum instituitur.

— d. VII Angli opifices ferriviis addicti, ex condito a laboribus desertionem minitantes, pacifice res suas componunt et civitati iacturas ex commerciorum intermissione impediunt.

— d. IX Eduardo, Anglorum regi, maximus qui nunc sit adamas, sine pretio pretiosus, a Transvaaliano gubernio offertur.

— d. X Neapoli, late ab universa Italia defletus, immaturo fato corripitur Emanuel Gian-  
turco, ad ultimos usque vitae dies publicis operibus provehendis minister, vir civilis scientiae, iuris, musicesque peritissimus ac pietate simul praeclarus. Natus erat in oppido Avigliano an. MDCCCLVII.

— d. XII Venetiis moritur Arnulfus e Bava-  
rica gente princeps.

— d. XIII regalis alia Italorum princeps foemina, cui nomen Ioanna imponitur, Romae nascitur.

— d. XVI Ewsham, in castello Aurelianensis ducis, adstantibus rege et regina Hispanorum, Lusitanorum regina aliisque regalibus principibus, nuptiae celebrantur inter Carolum, Casertae ducis filium e Borbonica gente, et Aloisiam ex gallica Aurelianensi domo.

— d. XVII ad Viareggio, in oppido Inferi maris, improvisa morte corripitur Robertus e Borbonica gente, quondam Parmensis Dux, Florentiae ortus d. IX mens. Iulii MDCCCXLVIII, primus Caroli III genitus, cui sub matris tutela an. MDCCCLIV successit.

— d. XX Odessa nunciatur pontum Euxinum ventorum vi horrendum in modum agitari; naves duodequadraginta esse demersas, nau-  
tasque ad centum circiter fluctibus obrutus.

### EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. IOACH. ALOIS. MENDES DE AGUIAR, Flu-  
mine Ianuario in Brasilia. — Diribitorias chartulas accepimus, itemque epistolam ad veritatem circa Bahiam regionem contra «Viatorum» vindicandam; quam tamen edere nequivimus tum quia longam ni-  
mis, tum quia acrioribus generatim verbis conceptam.

Quamquam facti huius rationem, patriae scilicet caritatem, tibi probamus; quae vero eo processit, ut scriptoris animum, a veritate atque iniuria prorsus alienum, tibi omnino velaverit. Ei enim, natione Gallo ac latinitatis magno adsertori et vindici, quum ad latinas terras in Americis invisendas profectus est, mens fuit — nobisque apernit — Latinorum cultum et ingenium satis ab aenulis debilitatum efferre et redire maius; quod si fortasse impressionem primam verbis aliquot severioribus, vel etiam, si tibi videtur, levibus immoderatisque passim expressit, sequentibus tamen litteris, quas ex Chilensi republica ad nos misit atque in proximo numero, spatio hodie defi-  
ciente, vulgabimus, perspicue magis mentem hanc suam declaravit. Bona igitur pace teneamus quas ille laudes de Bahia scripsit, satisque superque sint quae tu addis: civitatem hanc Ruyem Barbosa «Bra-  
siliensem legatum ad Haganum conventum», Iulianum Moreira «maxima celebritate versatum medicorum in orbe pro magna rei psychiatricae eruditione», Michaelum Calmonium «permagna civili prudentia praeditum, aetate quamvis iuvenili», aliosque plures Brasiliæ praeclaros viros genuisse; «Bahianam telurem, regalem exsulem Petrum II e Bragantiae domo

et Brasiliæ imperatorem, ad accipendum par-  
esse, si vero navis, cui creditus erat ille, fines peti-  
tiisset suos»; tamque omnibus argumentis, quae cul-  
tus recentior invenit, vitam suam in dies excolere.  
Et vale.

### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

*Socios et lectores admonere iurat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Ios. ERRICO. *Apostolus amore succensus*. — Neapoli ed. iussu atque sumptu R. Academiae Herculaneum, MCMVII. — (S. p.).

Gli ingannatori Ingannati. *Commedia* di CARLO MARIA ROSINI, vescovo di Pozzuoli, pubblicata la prima volta per cura del suo alunno P. Luigi Palumbo, ed ora messa in volgare dal Can. BERNARDINO QUATRINI, Professore di sacra eloquenza nel Seminario di Perugia. — Bononiae edid. officina Mareggiani. — (S. p.).

BERNARDINO QUATRINI. *Onoranze postume a Raf-  
faele Marozzi*. — Maceratae, ex off. typ. Unionis Catholicae, 1906. — (S. p.).

ROSMINI. *A. Compendio di Etica e breve storia di essa* con annotazioni di G. B. P. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., M DCCCC VII. (Ven. lib. 4).  
HATZFELD A. S. *Agostino*. Traduzione italiana dal-  
l'ottava edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).

### AENIGMATA

#### I.

Sublevo pauperiem miseri vel munere parvo.  
Inseritur mihi rho? Me tellus procreat alma.

#### II.

Sume caput, curro; ventrem coniunge, volabo.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis inter-  
pretationem ad Commentarii moderatorem  
miserint intra menses duos, unus, sortitus,  
gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam  
latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. X, n. IX proposita his respondent:

Aer - Acer - Afer - Ager - Aper - Ater.

Ea rite soluta miserunt:

Alois. Cappelli, *Senis*. — Merky ch., *Belle-magny*. — Rich. Lefebre, *Parisis*. — Georg. Nemethsch, *Vesnadasd*. — Ios. Rainelli, *Arma*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Salv. Casagrandi e S. I., *Augusta Taurinorum*. — Aug. Roberge, *Chicotino in Canada*. — F. Arnori, *Mediotano*. — Mich. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — V. Starace; H. Tarallo, *Neapołi*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Petrus Tergestinus. — Ioan. Rappel, *Au-  
retiano*. — C. Leclerc, *Monte-regali in Canada*. — I. Ortiz, *Moretia*. — Hyacinth Mateos, *Zamora*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Alm. Ballerini, *Novocomo*. — Fr. Bonaventura, *Aterno*. — F. Guerra, *Aletto*.

Sortitus est praemium:

ALM. BALLERINI,  
ad quem missum est IOANNIS BATTANII opus, cui titulus:  
*ANTHOLOGIA PARVA GRAECO LATINA (VII)*.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

### TARCISIUS

Actio dramatica I. B. Francesia versibus senariis conscripta.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVIII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;  
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;  
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM

ROMAM, via Alessandrina, 87.



149904

*Ad proximum numerum:*



VOX URBIS IN ANNUM M DCCCCVIII

A COMMENTARIO CONDITO XI

E T

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

